



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)



R. P. ILDEPHONSI

D E

PENAFIEL, E SOCIET. IESV

Sacerdotis Professi, &c.

THEOLOGIA SCHOLASTICA NATURALIS.

PROOEMIUM.



VMVM Theologiae naturalis hinc inde radiantis luminis splendorem, augustissimam dignitatis maiestatem, magnificam ipsius totum Deum Optimum Maximum ita spirantem praestantiam, & excellentiam, ut in ipsa tanquam in nitidissimo, & liquidissimo mirae perspicuitatis speculo infinita diuini Numinis perfectiones, dotes, & attributa haud sordidis coloribus, sed diuis ad miraculum lineamentis representata cernantur, non modo SS. Patrum auctoritas ab ipsis militantis Ecclesiae nascentis primordiis, mirè, ac luculenter commendauit: sed quod caput est, diuina oracula variis in locis sacrorum voluminum adeo egregie mortalibus tradidère, ut illius summas laudes, ac praemia ad caelum usque euehere contenderint. Nonne mortalium omnium Sapientissimus Magister Salomon hanc solam, Cui (ut ait Augustinus) nullae florum purpuræ, nullus, vel naturalis, vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet cordarum, atque tibiærum sonus, nulli amplexus pulchritudini, inspirationi, dulcedini, fomentis humanarum, ac diuinarum rerum sapientiæ conferuntur, rebus omnibus iure optimo anteposendam iudicauit, dum Sap. 8. in hac aurea verborum flumina prorupit: Hanc amari, & exquisiri eam mihi sponsam assumere, & amator factus

R. P. Ildephonsi de Peñañiel, Theol. Scholast. Tom. I.

A

sum

sum formæ illius. Generositate illius glorificat, contubernium habens Dei; sed & omnium Dominus dilexit illam; propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, tanquam lutum æstimabitur argentum. Super salutem, & speciem dilexi illam: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa; infinitus enim thesaurus est hominibus. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honores apud seniores iuuenis, & acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me. Præterea habeo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam iis, qui post me futuri sunt, relinquam. *Quid præstantius? Quid excellentius? Quid diuinius his sapientiæ mirabilibus præconiis ad hominum animos ardentem inflammandos, fortiterque præmouendos, ut sine aliqua tergiversatione, mira potius animi alacritate ipsius purissimum studium, & amorem spectemus Theologiæ nostræ naturalis, quæ, ut Augustinus, Ambrosius, & Hieronymus firmissimis argumentorum lateribus comprobant, præstantissima sapientiæ nominibus decoratur; nam siue sapientiæ est, quæ summam rerum omnium causam intuetur, hæc sola perfectio, quam tot perfectionum luminibus resurgentem accipimus, adeo perfecta præ cæteris, & absoluta sapientiæ nominanda est, quæ tota in rerum magnarum, ac præstantium explicatione versatur: neque communia quedam, & peruulgata persequitur, quæ nostra mens vi sua videre, & explorare penitus possit; verum ea, quæ cum sint maximis difficultatibus inuoluta, ita latent, ut à nemine, nisi cui per se, vel per clarissima ipsius lumina detexerit, perspiciantur; siue de sententiâ Platonis earum rerum scientiam, quæ partim intelligentia comprehenduntur, veræque sunt, neque oriuntur, & intereunt, partim sensuum experimento capiuntur, intelligamus. Hæc una maximè omnium tam graui nomine digna censenda est, quæ ad reconditissima diuini Numinis arcana mysteria, vnde cæteræ minores scientiæ prorsus excluduntur, sola penetrauit, siue Aristotelis iudicio sapientiæ volumus esse earum rerum, quæ sunt honore dignissime, naturæ scientiam, & intelligentiam, cui potius hoc tam illustre nomen tribuendum esse iudicatis, quam mirabili, diuinæque doctrinæ, quæ de rebus illis omnium præstantissimis ea nobis explicat, quæ quò minus hominum generi sunt nota, eo maiori apud omnes in honore, & pretio collocanda esse iudicantur? Immo hæc sola omnium humanarum scientiarum Domina, & Imperatrix nominatur: ideoque nihil reperitur diuinius, exclamat Constantinopolitane urbis fulgentissima Lampas Chrysostomus, nihil ornamentum, nihil honorum omnium affluentium dignitatis, quod in multiplici Theosophiæ naturalis cognitionis celsitate haud collocatum prospiciamus: idcirco Cyrillus Alexandrinus, qui eorum vestigiis insilere intendens, qui Colossorum, montiumque similitudines in annuli gemma exprimunt, rerum, atque adeo molitionis artificium pro angusto, sed tamen gemmato sermone comprehendit: Sapientiæ (inquit) bonorum omnium cumulus, & acerrimus, verè donum diuinum intellectualis creaturæ capacitatem ditans mirabiliter. Quid Princeps ingenij, & doctrinæ Plato? Nonne mirandum Dei donum, quo maius neque donatum esset bonum vnquam hominibus diuino consensu, neque tribuendum, cuius munere omnibus præstantem rebus hominem reddi soli Deo imparem predicabat, quod clarissimè his aureis carminibus, gemmeæque orationis aculenti Venuſinus Poëta declarauit, prima Epistola:*

Ad

Ad summam sapiens vno minor est Ioue diues.

Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

*Nec mirum, inquam; siquidem iuxta Platonem in Thæto, sapientia Deo
similes efficitur; neque enim, ait Plutarchus, argento Numen, & auro
beatum, vel tonitribus, & fulminibus est valens, sed sapientia, & intelli-
gentia.*

Vnde nil maius generatur illo,

Nec viget quidquam simile, aut secundum,

Proximos illi tamen occupavit

Pallas honores.

*Cuius auxilium veluti celeri pennarum remigio cælum conscendere, omnia quan-
tumvis ardua penetraturum confidebat Boëtius:*

Sunt enim pennæ volucres mihi,

Quæ celsa conscendunt Poli,

Quas sibi cum velox mens induet,

Terras perosa despicit.

*Similitudinem Dei aucupatur; quid enim illustrius ad veram, solidamque
laudem nobis potest contingere, quam ut illius prestantissime naturæ, quam diui-
nam vocamus, nonnullam similitudinem consequamur? Atqui efficit hoc Theolo-
gie naturalis cognitio, ut qui naturæ dissimilitudine à Deo veluti infinito intervallo
disiungimur, ac segregamur, imitandi studio, sapientiæque ditissima possessione
quasi quibusdam passibus propius accedamus. Huius sapientiæ imperium, summam
amplitudinis dignitatem, quæ omnia hæc mirabiliter operatur, regiamque ipsius
maiestatem per omnem huius vniuersi partem, per supera, media, infima, terram, ma-
ria, cælum commeantem, ac pertinentem, necessariò sempiterni temporis memorie
commendarunt insigni simulacro Gallorum Druides, hunc in modum repræsen-
tantes; aureo lapillorum splendore exornato diademate coronatam, in dextra
Saphyrina cæci, pleno beliorum sinu felicitatis symbolo, depingebant; sinistra
eburneum sceptrum dominatus argumento; cerulea aureis stellis circumquaque
illustrissima, lucisque clarissima radios iaculante veste induebatur, quæ aureo ver-
miculato opere perfectò triumphali cum aquila propter visus acumen, serpente
ob eius calliditatem, ob indefessum laborem Boue ducebatur, ut in ipsam toto
pectore incumbens subtilitas in cognoscendo, in deligendis sententiis prudentia,
vigilantissimum denique studium commendaretur, quo admirando sapientiæ simu-
lacro Theosophiæ nostræ regimen, potestatem venerandam, & amplissimum im-
perium satis apertè demonstrabant, de qua verius, quàm de veteris Romæ maje-
state aurea illa Erinne Poëtriæ carmina verificanter:*

Aureo Regina decora cultu,

Quæ vel in terra stabiles olympi

Incolis aras.

*Hæc aurea Cateina est illa apud Homerum, quæ cælo demissa, & rebus omnibus
innexa mortalium terras, mare, homines, cælos mouet, & quò vocat arbitrium,
facile circumducit, cuius tanta naturalis dignitas, ac venustas est, tam amabilis, &
gratiosa, ut haudquaquam dubitem, quin illa bono in lumine vestris oculis obie-
cta, animos, mentes excitatura sit in admirationem, beneuolentiam, cupiditatem-
que sui, & vestra nobilitate ad amandum propensa, reuocatum à cæteris artibus,*


R. P. Ildephonsi de Peñañiel. Theol. Schol. Tom. I.

A 2

atque

atque exercitationibus omnem amorem in hanc solam, tot perfectionum dotibus compactam, splendoribus illuminatam sapientiam, inflammato, constantique studio transfundatis. Digna est plane scientia humanarum, diuinarumque rerum, & quam hominum labor non sine ope caelesti reperit, auxit, adornauit, & quam hominum generi in tenebris iacenti luce diuina patefecit, cuius causa utilia eque, ac iucunda contemptis; si modo, aut utilia, aut iucunda possunt esse, quae nos hoc tam diuino bono priuant; nulla enim res, neque dignitas plus, neque vere utilitatis affert, nec tantum illa difficultatis habet, quin possit ingenio, diligentiaque superari, & quoniam magno, & excelsio animo praediti qui sunt, ut vos estis, eos dignitate maxime par est, atque integra, solidaque laude, ad lumen sapientiae, excelsum Theologiae studium, commoueri.

Hec pauca de mirabilibus omnium Scientiarum naturalium Regine, ac Imperatricis laudibus, & praconis, operepretium duxi in publicum edere, in aspectum, lucemque proferre, antequam in arenam Theologicam, in Metaphysicam circum robustissimis aduersariis manus conferere, pugnamque conferre literariam descenderem; vel, ut placidius loquar, priusquam prima iacerem fundamenta ingentium operum, quae molimur, quibus magnificam sapientiae regiam diuini Numinis afflatu felici omine sensim adtectum, fastigiumque perducerem; magno enim, & excellenti edificio praestruj iubet, Olympiorum Ode 6. Pindarus praefulgidam faciem: ἀρχαίη, αἰετ, ἔργα πρῶτων καὶ θεῶν τιμωμένη. In Digestis de origine iuris, l. 1. Facturus, inquit Gaius, legum veterum interpretationem, necessario prius ab Urbis initis repetendum existimari, non quia velim verbosos commentarios facere, sed quod in omnibus rebus animaduerto, id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret, & certe cuiuscumque rei potissimum principium est. Deinde si in foro causas dicentibus nefas, ut ita dixerem, videtur esse, nulla praefatione facta, iudici rem exponere, quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit, omisis initis, atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare; namque, nisi fallor, istae praefationes & libentius nos ad lectionem propositae materiae perducunt, & cum ibi venerimus, euidentiore praestant intellectu; quod maxime commendat Chrysostomus hom. de fer. &c. vel Hieronymus de partibus sacrae Scripturae.



DISPUTATIO I.

De Natura, & Perfectionibus Theologiae naturalis.

QVAESTIO I.

De Nominibus huius Scientiae.

I. **Q**UAE omnis cognitio rei, tum ex causis, tum ex ipsius nomine innoscitur; naturam enim v. g. Dei, hominisque essentiam ex ipsorum nominibus aliquo modo inuestigamus, quorum significatione enucleata in ipsorum significatorum notitiam proculdubio devenimus: quapropter praesenti quaestione, varia Metaphysicae, seu Theologiae naturalis, cuius naturam in hac disputatione explican-

dam aggredimur, cognomen aperiam, ut melius essentia illius intelligatur.

Primo haec scientia, tum Theosophia, 2. tum Theologia naturalis iuxta varias Doctorum versiones à Philosophorum Principe Aristotele nomine insignitur variis suae doctrinae locis, ut lib. 6. Metaphysicae, c. 1. lib. 8. c. 2. lib. 11. cap. 6. Primum nomen ex duplici Graeca dictione Theos, quod est Deus, Sophia, id est sapientia, sapientiam de Deo agentem significat. Secundum, Theologia nimirum sermonem de Deo exprimit, quia Theos Deus est, & Logos Graecè est sermo. Vnde Theologia idem est, ac sermo de Deo, non quidem luminis supernaturalis, aut reuelationi diuinae, virtutesque naturales superanti innitens, ut est supernaturalis Theologia, sed rationationi, & discursui naturali penitus, & merito quidem, cum ob suam praestantiam, totum Deum Optimum Maximum spiret, & de ipsius perfectionibus, & attributis, data opera latissime ipsa sola inter omnes naturales scientias disputet. Totus enim duodecimus liber metaphysicae